

41. Si quis Sacristiam aut Chorum externum solummodo petit, terram non osculatur, nec veniam petit, nisi adhuc sit Clericus, sed facta genuflexione Venerabili et inclinatione Superiori, vadit viam suam. Hoc idem facit cum regreditur.

42. Caput mediocriter inclinent Praelato et Communici etiam Sacerdotes parati eorumque Ministri Chorum ingredientes, aut egredientes, ante et post Missam seu aliquam functionem.

43. Officio persoluto, si e Choro statim discedendum sit, omnes, dato a Superiore signo, surgant, capite sese invicem salutent, ante SS. Sacramentum terram osculentur etc., et cum modestia et silentio discedant; non enim convenit, statim post Officium aut aliam sacram functionem divagari mente et locum sanctum inanibus verbis replere.

CAPUT III.

DE QUIBUSDAM ACTIBUS IN CHORO ET IN ECCLESIA FACIENDIS.

§ I. — *De signo Crucis faciendo.*

44. Signum Crucis fit duplice, id est, pollice manus dexteræ, et manu seu palma extensa, sinistra extensa et iunctis digitis infra pectus ita posita, ut sit extra limites Crucis. Primo modo fit in ore ad *Domine labia mea aperies* initio Matutini, in pectore ad *Converte nos Deus* initio Completorii, in fronte, ore et pectore ad *Initium vel Sequentia S. Evangelii*, etc.

45. Palma vero extensa ipsiusmet dexteræ manus fit ad *Deus in adiutorium* etc. initio omnium Horarum¹, (non autem cum idem versus in Psalmo, sive in Pre-cibus legitur, aut ad *Pretiosa* ter repetitur: ita tamen se signent, ut ad unumquodque ex praefatis verbis manu tangent primo frontem, deinde pectus, mox humerum sinistrum, ultimo dextrum²); ad *Adiutorium nostrum* etc. ante *Confiteor*, et postea ad *Indulgentiam* etc.; ad Primam, cum Hebdomadarius dicit: *Dominus nos benedicat* etc.; denique post *Benedicat et custodiat nos* etc. ad verba: *Pater et Filius et Spiritus sanctus*, ad Completorium.

46. Signum Crucis manu extensa insuper fit initio Canticorum *Benedictus*, *Magnificat* et *Nunc dimittis*³.

47. Similiter ad Matutinum in festo Epiphaniae, dum inchoatur prima Antiphona *Afferte Domino* (minime vero infra Octavam); ac pariter in ultimo Triduo maioris Hebdomadae ad Matutinum, Laudes et Vespertas, dum prima Antiphona inchoatur; ad reliquas vero Horas, in eodem Triduo, dum inchoatur primus Psalmus⁴.

48. Idem signum Crucis fit ab omnibus in principio Missae, cum Sacerdos incipit: *In nomine Patris* etc., et in fine Missae ad *Benedicat vos omnipotens Deus*, *Pater* etc., et quoties a Sacerdote aliqua benedictio impertitur.

49. De Crucis formationibus in Sacrificio Missae aliisque sacris functionibus faciendis, suis locis tractabitur.

¹ S. Rit. C. 13 Apr. 1867, in Bobien.

² Caerem. Episc. I. II, c. 1, n. 14. — S. Rit. C. 20 Decem. 1864.

³ S. Rit. C. 13 Apr. 1867, in Bobien.

⁴ Vide Gavant. et Merat., s. 6, c. 13, n. 8.

50. Privatim frequenter et devote hoc signo utamur, cum ad fovendam Christi Domini Passionis memoriam alte mentibus nostris infigendam, ad daemones pellendos et nos in temptationibus et periculis animae et corporis roborandos conferat.

§ II. — *De tempore et modo standi et sedendi in Choro.*

51. Horae canonicae in Choro, iuxta laudabilem nostram consuetudinem, recitandae sunt stando, non obstante paucitate Choralium, quia horum maior vel minor numerus nec minuit nec auget uniuscuiusque incommodum.

52. Praeterea standum est, cum Evangelium in Missa legitur, iuxta antiquum Ecclesiae usum.

53. Rursus, toto tempore paschali, et a Vesperis cuiuslibet Sabbati inclusive usque ad occasum solis diei Dominicae, cum dicitur Antiphona B. M. V. vel angelica Salutatio pulsatur. Aliis autem temporibus dicuntur flexis genibus.

54. Sedendum est in Choro, etsi expositum sit SS. Sacramentum, cum Lectiones ad Matutinum et Martyrologium ad Primam leguntur. In principio vero Martyrologii pro Nativitate Domini, et ad prima verba in die Resurrectionis Christi stent, ut suis locis dicetur.

55. Sedendum est in Sabbato sancto ac in Vigilia Pentecostes, cum leguntur Prophetiae.

56. In Officio Defunctorum, dum Psalmi et Lectiones recitantur seu leguntur, omnes sedent, excepto Acolyto, qui legit Lectiones; ad Invitatorium vero, *Pater noster* post Nocturnos, ad primas Antiphonas et initia

primorum Psalmorum, tam ad Vesperas, quam ad Laudes, denique ad *Magnificat*, *Ps. Laudate Dominum de coelis* et *Benedictus*, stent. Ad Preces vero genuflectant, solo Superiore vel Hebdomadario ad Orationem surgente.

57. Psalmi Graduales sedendo recitantur.

§ III. — *De mutuis conversionibus ad invicem et ad Altare.*

58. Cum iuxta veterem nostram consuetudinem Officium in Choro dicatur stando, facie conversa ad Altare, omnes sic ad Altare conversi maneant, dum dicuntur vel canuntur Psalmi et Hymni.

59. Pariter ita stent omnes ad Antiphonas finales B. M. V., tempore quo dicuntur stando.

60. Hebdomadarius sic conversus legat Capitula et dicat Orationes.

61. Item Acolyti dicentes Invitatorium, Antiphonas, legentes Lectiones, Responsoria, Responsoria brevia, Martyrologium et alia quaecumque.

62. Facie autem ad invicem conversa stet uterque Chorus (exceptis qui superiora scanna tenent, hi enim semper versus Altare conversi manent), dum dicuntur *Pater noster*, *Ave Maria*, *Credo*, *Gloria Patri* usque ad *Sicut erat*, dum omnes faciunt Confessionem, usquedum respondeatur *Amen* post *Indulgentiam*, *absolutionem*, ad Orationem principalem Officii, quae sequitur immediate *Dominus vobiscum*; et in fine Hymni cum nominatur SS. Trinitas¹.

¹ Caerem. Episc. I. II, c. 6, n. 6 et 8.

63. Facie pariter ad invicem convertantur ad *Benedicamus Patrem et Filium* etc. in Canticum *Benedicite*, ad *Sit nomen Domini benedictum* in Psalmo *Laudate pueri*, ad *Dominus nos benedicat* in fine Primae, et *Benedicat et custodiat nos* in fine Completorii donec responsum sit *Amen*.

64. Dicenda integre facie ad faciem utroque Choro pariter converso, Cantica *Benedictus*, *Magnificat*, et *Nunc dimittis*, sicuti et Preces non feriales ad Primam et Completorium.

65. Cum vero in Choro omnes sunt genuflexi, unusquisque maneat iuxta scannorum dispositionem; qui tamen non in scannis, sed in plano Chori locum tenent, facie versa ad Altare genuflexi maneant, praeterquam ad Preces feriales, ad quas genua flectant facie conversa ad invicem.

§ IV. — *De inclinationibus.*

66. Triplex assignatur inclinatio, videlicet simplex, quando caput tantum inclinatur; mediocris, cum flexo aliquantulum corpore, caput cum humeris inclinatur; et profunda, quando corpus inclinatur ut palmis utriusque manus facile sit genua tangere.

67. SIMPLEX INCLINATIO fit ad nomina B. V. Mariae, S. P. N. Francisci, illius Sancti vel Sanctae, cuius festum agitur, regnantis Pontificis et Episcopi in Oratione pro illo; et quidem quotiescumque proferuntur in Oratione, Lectione, Canone aut alibi dicta nomina.

68. Quando quis iam est inclinatus, non magis inclinet caput ad nomina Iesu, Mariae et Sanctorum, etc.

69. MEDIA INCLINATIO fit ad nomina SS. Trinitatis, Iesu, et ex laudabili consuetudine, quando in Choro vel Officio dicuntur sequentia vel similia verba: *Sanctum nomen eius*; *Sanctum et terribile nomen eius*; *Benedictum nomen Maiestatis eius*; *Exultabo in Deo Iesu meo*; *Benedictus es, Domine*; *Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam*; *Unum Deum in Trinitate et Trinitatem in Unitate veneremur*, etc. etc. Item, quando ad principium Hymni invocatur nomen Dei vel Iesu Christi, ut *Iesu Redemptor omnium* etc., ob reverentiam Dominicæ invocationis¹.

70. Porro haec media inclinatio fit in Officio S. Crucis ad *Adoramus te Christe* etc., in *Te Deum ad Sanctus*, *Sanctus*, *Sanctus*, et quandocumque dicitur, ad *Gloria Patri* etc. quando genuflectendo dicitur, quando datur aut accipitur pax, incensatio, aqua benedicta, et quotiescumque praescribitur facienda inclinatio, quin explicetur quod fiat profunda.

71. Item, quando Fratres ante Ecclesiam, Crucem, Sanctorum imagines transeunt; quando sibi invicem in Choro, Ecclesia aut alibi occurront, praesertim Sacerdoti sacris induito, parum ad latus recedentes et dantes recedenti locum, etc. etc.

72. INCLINATIO PROFUNDA fit in Officio ad illa omnia, quae notata sunt numeris 62 et 63; ac praeterea, ad *Cuius festum colimus* etc., et ad *Dominus nos benedicat* etc. usque ad *Fidelium animae exclusive*; ad *O gloria Virginum*; ad *Maria Mater gratiae*; et ad *Laus tibi Domine, Rex aeternae gloriae*, quod loco *Al-*

¹ S. Rit. C. 7 Septemb. 1816, in Tud.

leluia dicitur ante omnes Horas canonicas a Dominica Septuagesima usque ad Sabbatum sanctum.

73. Qui Antiphonam, Versum, Lectionem, Responsorium, etc. in Choro solus legerit, sive Hebdomadarius sit, sive Acolythus, in fine profunde inclinetur.

74. Inclinatur profunde ad conclusionem Hymnorum, quando in ipsis expressis verbis nominatur vel SS. Trinitas¹, nisi Chorales sint genuflexi, vel Trinitatis divinae Personae; ad integrum primam stropham *Nunc sancte nobis Spiritus* etc.; ad omnes *Oremus* (nisi Communia sit genuflexa) quae dicuntur immediate post *Dominus vobiscum* ad finem usque conclusionis (excepto Hebdomadario) *Spiritus sancti Deus* inclusive, propter invocationem SS. Trinitatis.

75. Eadem autem ratione mentionis SS. Trinitatis omnes profunde inclinabuntur ad conclusionem aliarum Orationum, sive in Officio, sive in Missa, sive ad alias preces, quoties conclusio dicitur integra.

76. Ad verba: *Et Verbum caro factum est, et procedentes adoraverunt eum;* omnes, etiam qui sedent, surgent et profunde inclinentur.

77. Inclinari debet profunde Hebdomadarius, dum dicit *Confiteor*, usque dum respondeat *Amen* post *Miserereatur tui*; et uterque Chorus facie ad faciem conversus, dum omnes Confessionem faciunt, usque dum respondeant *Amen* post absolutionem.

78. Sive Acolyti, sive Lectores, quicumque sint, profunde inclinabuntur Hebdomadariorum versus, dicentes: *Iube domne benedicere,* ita manentes, manibus iunctis,

¹ Caerem. Episc. I. II, c. 6, n. 6 et 8.

usque ad finem benedictionis. Si tamen Lector sit Praelatus vel alias Sacerdos solemniter paratus, inclinetur tantummodo inclinatione mediocri. Ad finem Lectionis profunde inclinetur Altare versus Lector quicunque, dum dicit: *Tu autem Domine* etc., nisi discessurus sit e medio, quia tunc debitas reverentias facit Altari et Choro; postea recedit.

79. Clerici et Acolyti accedentes ad legile, primo versus Altare profunde, dein versus Superiorem mediocriter inclinentur; recedentes vero a legili, prius mutuis se profundis inclinationibus excipient, ut dictum est, dein profundam ante SS. Sacramentum inclinationem faciant.

80. Quando Chorales psallendo inclinantur, omnes Chorum ingredientes vel transeuntes easdem inclinationes faciant.

§ V. — *De genuflexionibus.*

81. Genuflexio simplex fiat erecto corpore, non inclinato capite; atque ita ut genu dexterum pertingat ad terram prope calcaneum sinistrum.

82. Fratres genu dexterum solum flectant toties quoties ante Altare, in quo SS. Sacramentum reposatum est, transeunt.

83. Idem observandum est ab omnibus transeuntibus ante Crucem Altaris maioris ab initio adorationis Feria VI in Parasceve usque ad Nonam Sabbati sancti inclusive¹.

¹ S. Rit. C. 9 Maii 1857, in una Carducen. ad dub. V.

84. Acolyti genu flectant dexterum sub finem versiculi: *Venite adoremus et procidamus* etc., in Invitatorio.

85. Eodem modo Fratres Clerici et Laici genuflectant, dum Ordinis Superioribus, Praelatis aut Sacerdotibus aliis, saecularibus aut regularibus, in altiori dignitate constitutis, in Sacristiis, Ecclesiis aut domibus nostris adventantibus occurunt, eorum manus osculantur, sine genuflexione.

86. Utroque genu flectendum est ad Preces Officii serialis, Officii Defunctorum; item ad Suffragia, quae forte Preces feriales sequuntur, ad Preces quae Psalmis Gradualibus adiunguntur; atque ad integros Psalms Poenitentiales et Litanias, Hebdomadario tamen surgente ad Orationem respective Orationes¹. Vid. etiam n. 271.

87. Quando ad Antiphonas finales B. M. V. standum aut genuflectendum est, vide num. 53 et 275.

88. Eodem modo omnes, excepto Lectore, in Choro flectant utroque genu in Vigilia Nativitatis Domini, dum e Martyrologio leguntur verba: *Nativitas Domini nostri Iesu Christi secundum carnem*, exceptis Lectore et Ceroferariis; sed Lectore post haec verba genuflectat.

89. Ad verba: *exspiravit et emisit spiritum*, etiam qui legit aut cantat Passionem, genuflectat. Item ad Ps. *Miserere*, ad ¶. *Christus factus est* etc., et Orationem *Respice* etc., quae sub fine singularum Horarum dicuntur ultimis tribus diebus Hebdomadae sanctae, omnes genuflexi maneant, etiam ipse Hebdomadarius.

¹ Caerem. Episc. I. II, c. 10, n. 4 et 8.

90. Notetur tamen, ut cum mora genuflexionis est brevis, genuflexio peragatur a Lectoribus seu Cantoribus statim: si vero mora sit longa, ne plurium vocum unisona modulatio inflectatur, tunc genuflexio sub fine verborum locum habeat¹.

91. Denique genuflectitur semper ad Missam, quae sine cantu dicitur, praeterquam dum legitur Evangelium².

§ VI. — *De prostrationibus cum osculo terrae.*

92. Prostratio cum osculo terrae fit ad ingressum Chori et egressum, iuxta antiquissimam nostram consuetudinem.

93. Item ad *Venite adoremus et procidamus* etc. in Invitatorio, ad *Te ergo quae sumus in Hymno Te Deum laudamus* et aliis similibus³, ad integras strophas Hymnorum: *O Crux ave, O salutaris Hostia, Tantum ergo, Veni Creator Spiritus, et Ave maris stella*⁴: ita tamen ut Chorus qui canit, genuflexus et iunctis manibus maneat usque ad finem resp. strophae; dum alias Chorus circa finem strophae terram, respective scannum osculatur ac surgit.

94. Ad *Tantum ergo* fit prostratio in Choro et integra strophe dicitur flexis genibus, iuxta perveterem Ordinis nostri consuetudinem, licet SS. Sacramentum

¹ S. Rit. C. 8 Martii 1738, in Ulixibonen. ad 5.

² Rubr. Missalis, t. 17, n. 2.

³ S. Rit. C. 31 Iulii 1665, in una nullius Dioeces. et Prov. Trevisen. ad 14.

⁴ S. Rit. C. 14 Novemb. 1676, in Bitunt. ad 7.

non sit expositum, quae pia praxis Decretis pontificiis apprime est conformis¹. Stropha vero *O salutaris Hostia* in Hymno Laudum Officii SS. Corporis Christi, dicitur flexis genibus quando SS. Sacramentum est expositum; alias caput tantum profunde inclinatur.

95. Fit prostratio cum osculo terrae ad *Et incarnatus est*, ad utramque elevationem, et ad benedictionem in fine Missae.

96. Post *Sacrosanctae* quod flexis genibus dicitur, dicto *Amen*, omnes terram osculentur (resp. scamnum), solo Hebdomadario excepto, qui *Y. Beata viscera Mariae* etc. et subsequens Responsorium genibus quidem flexis, sed erecto capite iunctisque manibus dicit.

97. Prostratio cum osculo terrae resp. scamni solummodo in nostris Ecclesiis et Choris fit, sed fiat maxima cum decentia.

§ VII. — *De coniunctione et contectione manuum.*

98. Iunguntur manus ad *Domine labia mea aperies* et ad *Deus in adiutorium*, ad principium omnium Horarum canonicarum et etiam Officii parvi B. V. Mariae usque ad *Gloria Patri* etc. exclusive, et ad *Confiteor*.

99. Iunguntur quoque quoties benedictio ab Hebdomadario petitur his verbis: *Iube domne benedicere*, et in fine Lectionum cum proferuntur verba: *Tu autem Domine miserere nobis*; item ad verba Evangelii tertii Nocturni usque ad *Et reliqua inclusive*; ab Hebdomadario ad *Misereatur et Indulgentiam* post *Confiteor*,

¹ S. Rit. C. 4 Aug. 1663, in una Urbis.

ad Antiphonam finalem B. V. Mariae et Lauretanis Litanias, ad Salutationem angelicam mane, meridie et vespere, ad preces vespertinas in Choro et ad *De profundis* quod vespere in Choro pro Defunctis recitatur.

100. Iungantur manus ita, ut palmae utriusque se tangant, et pollex dexteræ super pollicem sinistre positus Crucem formet. Manus iunctæ decenter super pectus teneantur erectæ, ne tamen os aut faciem tangent.

101. Manus, quantum fieri possit, intra manicas aut sub mantello iuxta nostræ Religionis consuetudinem contegenda, aut saltem alio quovis modo ante pectus honeste et religiose collocandæ sunt durante Officio, nisi formando Crucem, pectus tundendo aut alia quamcumque re ad Officium pertinente sint occupatae.

§ VIII. — *De brachiorum extensione.*

102. Brachiorum extensio, qua Christi Crucifixi imago, velut in nobis delineata repraesentatur, et memoria recolitur stigmatizationis S. P. N. Francisci, quae proinde in Ordine Minoritico semper in usu fuit, fit post elevationem Calicis in Missa conventuali: tunc enim quotquot in Choro sunt, aut Missis superpelliceo non induti inserviunt, quinque *Pater noster* et *Ave Maria* extensis brachiis recitent.

103. Praeterea, quoties post supplicationes pro aliqua necessitate factas, semel vel plures *Pater* et *Ave* iubente aut ordinante Superiore dicuntur.

104. Extenduntur pariter brachia, quoties in Choro *Pater noster* ad lucrandas Indulgentias, aut pro benefactoribus etc. recitatur.